

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOSOPHICA  
DE  
PRINCIPIO JURIS  
NATURAE,

QUAM  
CONSENSU

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS  
MODERATORE

D. I. L. SCHULZIO

PROFESSORE THEOLOGIAE ET PHILOSOPHIAE  
FACULTATIS PHILOSOPHICAE P. T. DECANO

PRO

SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS  
SOLENNITER CAPESSENDIS


PRIDIE CALEND. SEPTEMER.

PUBLICE DEFENDET

IOAN. CHR. GOTTL. SCHAUMANN

PAEDAGOGII REGII, QUOD GLAUCHAE EST,  
COLLEGA ORDINARIUS

HALAE,  
LITTERIS FRANCKIANIS MDCXCXI.



VIRO  
PERILLUSTRI AC GENEROSISSIMO  
DOMINO  
CAR. CHRISTOPHORO  
DE HOFFMANN,  
ACADEMIAE FRIDERICIANAE CANCELLARIO,  
AUGUSTISSIMO BORUSSORUM REGI  
A CONSILII INTIMIS,  
SERENISSIMO PRINCIPI BORUSSORUM  
HENRICO  
A REGIMINE CURIAE, QUAE RES CAMERALES  
DIRIGIT,  
DYNASTAE IN DIESKAU  
ET BRUCKDORF,  
HUNCCE LIBELLUM  
IN PUBLICUM MAXIMAE REUERENTIAE  
MONUMENTUM

D. D. D.

AUCTOR.

ALPHONSO  
DE HOTTMANN  
ACADEMIAE LINGVAE FRANCICAE  
AUGUSTINAE PROFESSORIS  
PRAEFATIO  
ALPHONSO  
DE HOTTMANN  
ACADEMIAE LINGVAE FRANCICAE  
AUGUSTINAE PROFESSORIS  
PRAEFATIO  
D. D. D.  
AUGUSTINAE

juribus  
locuti et  
prins at  
de jure  
nem hae  
conjunct  
quisque  
tuendi.  
Ut  
civitates  
ctores ci  
De jure  
dentesve



**A**b antiquissimis inde temporibus homines jam de  
juribus suis, nisi subtiliter cogitaverunt, saepe tamen  
locuti et acriter rixati sunt. — Nulla quoque quaestio  
prius atque facilius mentem agitare potuit, quam quae  
de jure ponitur, quoniam ad vitae mortalis conditio-  
nem haec maxime pertinet, iisque, quae societate aliis  
conjuncti sunt, statim occurrere debet ob curam, quam  
quisque habet, suas sibi res servandi, omnique modo  
tuendi.

Ut juris praesidium consequerentur, homines in  
civitates coierunt: ut jura civium describerentur, au-  
ctores civitatum, legumque latores primum curarunt.  
De jure, qui ab aequalibus posterisque sapientes pru-  
dentesve laudati sunt, praecipue cogitaverunt: in jure

A

constituendo Romani barbarorum etiam consilio sunt  
 usi: omnesque fere et Graecorum et Romanorum scrip-  
 tores in hunc locum vel excurrunt vel eundem praeci-  
 pue scrutantur. Istis quidem temporibus, quibus ho-  
 mines et res humanae vel unius vel paucorum imperio  
 subiectae tenebantur, legesque arbitrarie obtinebant,  
 haud ita multa nec tam libere edita de jure suo judicia  
 hominum inveniuntur: sed postquam, quod humanita-  
 ti principum quorundam nobiliorum debemus, libertas  
 et cogitandi et loquendi civibus restituta est, permulta  
 iterum in hanc rem disputata sunt et omnes fere erudi-  
 ti, certe philosophi, ad jura definienda operam suam  
 applicaverunt. — Hodie vero, praesertim ob res in  
 Gallia novas locus de jure hominum valde etiam at-  
 que etiam agitur: et quod olim fortasse in mente  
 erat, nunc est in ore omnium.

Multa autem quamquam disputata sint, pauca ta-  
 men disceptata inveniuntur, ut, quae hodie in hunc  
 locum scripta exstant, clare testantur \*). Quae cum  
 ita sint, operam haud perditurus mihi videbar, si ad

\*) Ut plurima faciam, videas, quae a Moesero, Clauero,  
 Bieffero VV. CC. disputata sunt in „Berlin, Monatschrift  
 1790, et 91.“ — quae Burkius Anglicus in libro, qui de  
 mutatione rerum Gallicarum scriptus exstat, et contra illum  
 plures posuerunt — ipsa denique, quae in conventu Gallo-  
 rum publico deliberata et decreta sunt, quaeque contra  
 haec ab editore ephemeridum politicarum Hamburgensium  
 declamata offensis.



jura hominum definienda meam quoque opellam conferrem. Ne vero aliquis tam grave, difficile, arduumque opus suscipientem arrogantiae accuset, his cautum mihi sit: non ego litem dirimere his meis volui, sed ad illam dirimendam pro viribus facere. Munirem me contra morosos trito: In magnis voluisse fat est, nisi quis jure opponere possit „parvum noluisse fatius.

## PROOEMIUM.

**D**e principio Juris Naturae accurate scripturum cum a capite repetere oporteat, quod quaerit, ad illas notiones regredi debet, quibus, quod invenire vult, superfructum est. Quod si ab omnibus factum esset de Jure Naturae disputantibus, non tot adhuc dubia, tanta sententiarum varietas, tam magna discrepantia superessent. Qui fieri potest, ut quis verum artis principium tradat, nisi veras notiones earum rerum, in quibus illa versatur, tradiderit? qui fieri potest, ut quis aptum Juris Naturae fundamentum inveniat, nisi ante, quae qualia in hoc fundamento collocanda sint, cognoverit? Sunt autem primae, quas Jus Naturae tractat versatque notiones, juris, naturae, conditionisque, quae a natura vocatur: quae cum nondum satis definitae et explicatae sint, cui mirum, litem de juribus hominum adhuc pendere? —

Ego vero cum mihi sumferim, de vero Juris Naturae principio meam sententiam qualemcumque proferre, harum notionum explicandarum et definiendarum, periculum faciam, ita, ut tota haec quaestio hoc ordine solvenda sit:

Primum quid sit Natura, quis locus, quo  
homines a Natura positi sunt, quoad ejus fieri  
potest, accurate definiatur:

Quaeretur deinde de vera Juris notione;  
*post autem* de rebus in disciplina no-  
stra tractandis.

Rationes porro principii Juris Naturae  
tradentur,  
quo facto denique, quid de eodem  
auctori videatur, judicio prudentio-  
rum subicietur.

## CAPUT PRIMUM.

De

## Natura hominis et statu naturali.

## §. I.

Verum esse, quod supra posuimus, primas Iuris Naturae notiones nondum satis definitas esse, jam inde patet, quod in sententiis eruditorum de conditione hominum naturali maxima et varietas et discrepantia obtineat: id quod neminem latet, qui, ut reliquos taceam, HOBBIUM *a*) cum PUFENDORFIO *b*), cumque PLATNERO *c*), ROUSSEAUUM *d*) comparauit, eaque legit, quae ab HUFELANDIO *e*) V. C., in libello, quem de principio Iuris Naturae egregium scripsit, ad hunc locum disputata sunt *f*).

*a*) Hobbesii elemm. philos. de ciue. Libertas c. 1. cf. Eij. Leuiathan p. 1. de homine c. 13.

*b*) Pufendorf, de iure naturae et Gent. l. 2. c. 2.

*c*) Platneri Philosoph. Aphorismen p. 2. c. 2. sect. 2. VIII. §. 316 - 351.

*d*) Rousseau Discours sur l'origine et les fondemens de l'inegalité parmi les hommes. tomo primo edit. bipont. p. 60. sqq.

*e*) in suo: Versuch über den Grundfatz des Naturrechts P. 190 - 196.

*f*) Ifelinus in libro, qui inscriptus est: Ueber die Geschichte d. Menschheit, de repugnantia philosophorum in defini-

## §. 2.

In tanta sententiarum varietate si auctores earum recta via iuissent, nescio an quis veram hujus status imaginem delineare desperet. Ego vero cum nihilo minus hanc spartam aggressus sim, statim apparet, me viae, qua viri illi inerunt, diffidere, aliamque eligendam esse, putare. Ne autem in eosdem errores, si qui sunt, trahamur, videndum, quo factum sit, ut illi a vera via abducerentur.

## §. 3.

Fons mihi atque origo omnium de statu naturali dubiorum in eo sita esse videtur, quod omnes fere statum naturalem cum primo (primaeuo) confundant g): in quo quidem ego, neglectis omnibus, quae

endo et describendo statu naturali ita queritur: Wenn wir sie (die Weltweisheit) aber fragen, worin der Stand der Natur bestehe, wodurch er sich von dem Stande der Sitten unterscheide, — wo er anfangt, wo er aufhöre; ob er etwas wirkliches, oder ob er gar nur eine Erdichtung sey? stürzt sie uns in ein Labyrinth von Zweifeln, aus welchem sich herauszuwickeln, es mehr, als einen ariadnischen Faden binäuchet, lib. 2. p. 118.

- g) Videntur Hobbesius, Pufendorfius, Rousseauus, Platnerus locc. citat. quibus praeter sexcentos alios addi possunt Thomafius in Instr. Iurisp. divin. lib. 1. c. 2. §. 47-60. Pufendorf, in offic. hom. et civis l. 2. c. 1., Montesquieuus in suo de l'esprit des loix. l. 1. c. 2., Garvius in: Abhandl. über d. Verbind. d. Moral mit d. Politic, p. 3. et, quos collegit Cel. Ulrich in Initt. philos. Iusti p. 11. 12.

inde fluxerunt, difficultatibus, sequentibus §§ confide-  
randis (§. 4-9) non video, quare conditio, qua pri-  
mi homines usi sunt, naturalis laudetur, cum potius  
illam hoc nomine ornare possis, quae omnium extre-  
ma erit. Naturae enim consilio non primi homines,  
ne hodierni quidem, satisfecerunt: qui mundi,  
si qua erit, destructionem videbunt, si demum satisfice-  
rint. His itaque positis, qui contra illos contendunt,  
nos aequae bene, atque Adamum Evamque, vel, si ma-  
lis, alios in statu primaevio viuentes, naturali conditio-  
ne gaudere, recte mihi monere videntur. Quod enim  
eruditiores, prudentiores, cultiores, meliores sumus,  
naturae est accommodatum.

## §. 4.

Quoniam vero, qui statum hominis naturalem de-  
scripsere, omnes fere primum cum naturali con-  
fuderunt; (§. 3. not.) factum est,

1) ut lubrica conjecturae via in Arcadiam suam  
tenderent. Qua vero alia ad eam pervenire potuissent?  
Annales status primaevi, qualem in lure Naturae poni-  
mus, non adlunt: carent enim et caruerunt in illo vi-  
ventes, silo, tabellis, Tacito. Plures quidem ad  
Mosaicam historiam pronocarunt, quae tamen tantum  
abest, ut pro conjecturis certam cognitionem dederit,  
ut illarum potius numerum adauxerit.

## S. 5.

E conjecturis autem Ius Naturae quid potest lucrari? Fundamenta jurium humanitatis conjecturis superfruere, aedes in aëre collocare. — Cui vero rei perennius fundamentum subjiciendum, quam illi, qua nihil sanctius est? Conjecturarum autem munimenta leuissima, injultum, crudelem, tyrannum quemque expugnare, quis quaeso prohibebit? quis in tanta sententiarum turba illos impedit, quo minus suae veritatem defendant vindicentque? —

## S. 6.

2) Quoniam, qui jura hominum a natura repetere cupiebant, ad statum primaeuum recurrerunt, si a PLATNERO discesseris, omnes fere hominum barbarorum, atque incultorum imaginem animo conceperunt. Quid autem istius modi homines, qui, iusti atque honesti expertes, secundum LUCRETIVM <sup>b)</sup>

Nec commune bonum poterant spectare, nec ullis Moribus inter se scibant, nec legibus uti et secundum CICERONEM <sup>d)</sup> „neque naturali, neque ciuili jure descripto fusi per agros ac dispersi vagabantur, tantumque habebant, quantum manu ac viribus per caedem, ac vulnera aut eripere aut retinere

<sup>b)</sup> Lucret. de Natura rerum V. 956, 957.

<sup>d)</sup> Cic. Orat. pro Sextio c. 42.

potuerant, quid, inquam, isti ad jura hominum cultorum definienda, firmanda, munienda? — Inde si jura tua repetere velles, multi cum BRENNINO apud PLUTARCHUM *k*) „τῶν πρεσβυτάτων τῶν νόμων ἀπολαδοῦμεν, ὅς τῃ κρείττονι τὰ τῶν ἡττόνων δίδωσι ἀρχόμενος ἀπὸ τοῦ θεῶ, καὶ τελευταῖον ἐκ τῶν θηρίων. καὶ γὰρ τάτοις ἐκ φύσεως ἐνεῖν, τὸ ἄριστον πλεον ἔχειν τὰ κρείττονι τῶν ὑπεδεστέρων. — multi cum DARIO et XERXE post summam violentiam, saevissimosque impetus se κατὰ νόμον τῆς φύσεως fecisse responderent. Neque apud incultos alia lex esse potest, quam quae fortiori fauet. Ius enim non nisi a ratione inueniri et exerceri potest; ubi sensuum impetus regnant, ibi sensuum quoque legibus omnia subjiciuntur *l*)

## §. 7.

Animus horret, cogitantis, quantopere tyrannus hoc statu primaevus abuti possit, quam valida inde argumenta repetere ad violentiam suam defendendam, et libertatis coercendae necessitatem demonstrandam. Vosmet ipsi, ita potest Caligula aliquis excipere, fatemini, in statu naturali salutem non inveniri, necessum vero esse, ut in civitatem et sub imperium congregemini, potestasque pro arbitrio agendi coarctetur. Quid ergo contra leges meas, iusta, imperata? — Si cuilibet

*k*) Πλουταρχου παραλληλῶν, τμήμα πρῶτον. Καμίλλος. P. 247. ed Stephan.



civi liceret leges, pro suo arbitrio mutare, vel abrogare, idem esset, ac fuit in statu illo perturbato. Facile concedo obedientiam erga imperatorem vobis esse molestam: sed in statu libertatis, ut ex philosophis vestris audistis (HOBBSIO in *elem. ph. de cive. Imperium. c. 5. sqq.* PUFENDORF. in *lure naturae et gent. l. 2. c. 2. 2.* et HUFELANDIO in *Lehrätzen d. Naturrechts p. 2. f. 2. §. 359-364*) nulla omnino salus esse, neque praeter civitatem certis legibus fundatam, aliquid incommodis vos urgentibus mederi potest: quid ergo querimini? Quae molesta vobis videntur, antependatamen miseriae, liberos vos opprimenti., Equidem hanc tyranni orationem corrigi atque refutari nullo modo posse minime puto, sed potest tamen his, specie non carentibus, et sibi et aliis persuadere, per sibi magnam in homines potentiam ab ipsa humanitate tributam esse.

§. 8.

3) Sunt quidem, qui cum PLATNERO *m*) suaviorem nobis primorum hominum imaginem adumbra verint, eosque, a diis recentes, alti spiritus viros fuisse contenderint; attamen, quamvis non negaverim, hos a consilio Juris Naturae propius abesse, hi quoque ad invenienda jurium principia adhiberi non possunt, quoniam conjecturis utuntur ad hanc quaestionem non idoneis. (§. 5.)

1) v. E], *Phil. Apher. l. supra cit.*

## §. 9.

4) Denique, quod ad statum primum in condendis hominum juribus respexerunt eruditi, factum est, ut de existentia ejusdem lites orirentur nec disceptatae nec disceptandae: quod unum jam sufficeret ad rejiciendum hunc statum, cum in eo, de cujus existentia dubium est, nil certi firmique collocari queat.

## §. 10.

Pono itaque primo loco; quaestiones de statu primaevo ad jura hominum definienda nulum usum habere, quoniam, ommissis aliis, ad illas conjecturae adhibendae sunt, quibus nihil, quod ab omni parte munitum velis, superstrui potest. Cave autem putes, me omnes omnino de prima hominum conditione quaestiones rejicere: nec ullum earum in doctrina jurium usum videre. Historiam mutati paulatim juris, legum, societatis, civitatis etc. si conscribere velles, ad statum primaeuum tibi recurrendum esset, conjecturisque uti liceret, quoniam haec aggressurus explicare, non constituere vis.

## §. 11.

His positis ipse iudicio prudentiorum submittam, quo sensu status naturalis ad Ius Naturae adhibendus mihi

mihī esse videatur. Quod ut recte fiat, respiciendus est ipse finis Iuris Naturae, qui quidem cernitur constitutione eorum jurium, quae homini, ut homini competunt, quae nec petenda illi, nec expectanda sunt a lege quadam arbitraria, quae illi connata sunt. Ius Naturae non docere vult jura, quae homo in statu primaeuo habuerit, sed quibus gaudet in statu et sub auctoritate humanitatis. Ius Naturae fundamenta ponit juris civilis, normamque tenet, ad quam leges civiles exigantur.

§. 12.

Quodsi igitur in Iure Naturae de natura hominis quaeris, nil quaerere potes, nisi complexum eorum, quibus homo ab humanitate donatus est, seu quibus ornatus e manu creatoris venit, nihilo adhuc per arbitrium, casum cet. vel ablato vel addito vel mutato. Natura autem hominis cum definiatur comprehensione earum proprietatum, quibus homo ab humanitate dotatur; status naturalis est complexus earum rationum, quae fluunt e proprietatibus, quibus homo ob naturam suam gaudet, nihilo mutato vel per suum vel aliorum arbitrium, casum, aliasve res qualescunque,

§. 13.

Secundum haec mea principia (§. 11. 12.) status hominum naturalis (§. 12) certo ac systematico modo ita

B

describi potest. — Homo, quatenus homo est, constat animo et corpore, inque terra degit s. homo est

Animal terrestre, ratione praeditum <sup>m)</sup>

Quod ut esse possit, ante omnia requiritur

Vita.

Habet autem animal hocce terrestre, ratione praeditum

I. Facultates

II. Neecessitates

a) animi. v. c. rationem cum mente ceterisque partibus, quae facultatem cognoscendi constituunt. — voluntatem — potest honestum sequi; potest turpe. — prudenter agere, imprudenter etc.

a) animi. e. g. ingenium colendi, voluntati satisfaciendi, libertatis etc.

<sup>m)</sup> Eodem fere modo Schlettwein in suo; Die Rechte d. Menschheit: proleg. p. 4. naturam hominis delineat. Sic enim h. l.: Also ist der Mensch ein thierisches Ganze von intellektuellen, geistigen, oder moralischen Kräften besetzt, und dies ist sein Wesen oder seine Natur, dies ist die Menschheit.

b) corporis. v. c. facultatem corpore membrisque utendi pro arbitrio animi, ad se, ad genus suum conferuandum etc.

b) corporis. e. c. virtus atque amictus, voluptatis etc.

c) ad utrumque pertinentes v. c. facultatem se perficiendi

c) utrumque simul spectantes v. c. societatis, negotii et otii e. f. p.

§. 14.

His (§. 13.) componitur status naturalis, neque ullae aliae in hoc hominis rationes cogitari possunt, quam quae sunt e natura humanitatis. Hic autem status tam longe abest ut unquam exsisterit, ut potius nullo modo existeret queat: aequae minus, ac res inueniri quaedam potest, quae notioni cuidam universali ab omni parte respondeat. Sed contra hunc statum, qui auctoritate humanitatis defenditur, tyrannus si facere, nihil tamen sani dicere potest; contra illum, qui primaevus vocatur, multa monere, ratione non carentia.

§. 15.

Proxime, ut ex supra dictis (§. 11 - 13) apparet, absum ab HUFELANDII V. C. sententia, quam in libro de

principio I. N. exposuit. Postquam enim contra abusum conditionis naturalis prudenter disputavit, ita pergit <sup>n)</sup>): „Die einzige Bedingung unsers Naturstandes ist, daß die Menschen darin in keinem andern Verhältnisse stehen, als welches von Natur da ist, und daß sie also keine Rechte über einander haben, ohne Oben und ohne alle selbst aufgelegte Verbindlichkeit sind, und das Naturrecht soll dann die Rechte des Menschen lehren, welche er, wenn er in diesem Naturstande lebte d. i. vor aller Verbindung durch Verträge und in Gesellschaften, haben würde., — In ipso vero systemate Iuris Naturae, quod libellum istum secutum est, de eadem re ita o): „Naturstand ist der Innbegriff der rechtlichen Beziehungen, welche dem Menschen ausser dem Staat zu kommen. — Der Naturstand im Naturrecht braucht keine weitere Bestimmung, und jeder andere Zusatz, der nicht aus der hier angegebnen Bestimmung fließt, muß aus der Idee desselben entfernt werden. Folglich ist dieser Naturstand bloße Hypothese., — Haecenus tamen a Viri Celeberrimi mihiq; summe Venerandi sententia abeundum mihi videtur, quod ille statum naturalem non nisi conjectura attingi posse, dubitandumque esse existimet, utrum unquam exstiterit,

<sup>n)</sup> Versuch über d. Grundf. d. N. R. p. 191. sqq.

<sup>o)</sup> Lehrsätze des Naturrechts p. 6. §. 10. 17.

nec ne p): cum mihi potius dicendum videatur, hunc  
 statum nusquam et numquam inveniri posse  
 (§. 14.), nisi in mente (ein Ideal sey): a mente vero  
 certa rectaque cogitationis via inventum esse.

p) Der Naturstand aber, welchen wir hier brauchen, ist jetzt  
 nicht mehr wirklich, vielleicht nie so wirklich gewesen,  
 als wir ihn uns denken etc. Verf. u. d. G. d. N. p. 191.

## CAPUT SECUNDUM.

De

## Notione Iuris.

Variae et in communi vita et in scriptis eraditorum potestates vocabulo juris et praesertim nostratum Recht tribuuntur, quarum maxime vulgares hac paragrapho recensere lubuit, ut ea deinde facilius feligi possent, quae in Iure Naturae adhibenda est.

Dicitur autem Ius (Recht) praesertim his quatuor modis

I. Ius est actionis quaedam indoles, quae illam ornat

- a) vel honestae, ut in nostratum trito: Thne Recht und sicheue niemand, vel, das ist Recht vor Gott und Menschen.
- b) vel justae v. c. cujus est donandi, eidem et vendendi et concedendi jus est g)
- c) vel opportuna nomine, ut nostrates pro latinorum „hoc opportune, prudenter,, das hast du recht gemacht.

g) L. 163. ff. de regul. jur.



2. Ius interdum pro factis singulis concessis v. c. Iusque fasque est *r*), das ist Recht.

3. Res etiam, ad quas actiones iustae pertinent, (die Objecte des Rechts) juris nomine ornantur v. c. das sind meine Rechte.

4. Doctrina juris s. Jurisprudentia. v. c. Ius est ars boni et aequi *r*), Ius Naturae, Ius Gentium, Iurium cultor cet.

Praeter has, quae vulgatae sunt, pluribus adhuc potestatibus juris vocabulum cumulatum est, quas si quis noscere vult, consulat L. II. ff. d. j. et j., HUG. GROT. de jur. b. et p. l. l. c. I. §. 3. 4. 9. PUFEND. I. n. et g. L. I. l. 20., TERLINDEN Versuch einer Vorbereitung zu der heutigen positiven in Teutschland liblichen gemeinen Rechtsgelahrheit p. 152. 153. etc. etc.

Nos autem pro fine Iuris Naturae eam feligimus Iuris potestatem, quae in tabula nostra primi loci secundam partem occupat, quoniam reliquae vel prorsus non ad doctrinam juris referuntur, vel huic tamen subjunctae inveniuntur.

v) Plaut. Cistell. I, 1, 22.

vi) L. I. pr. D. de iust. et j. cf. L. 10. ff. h. t. et §. 3. I. eod. r.

## §. 17.

Antequam vero ipse meam de vera juris notionem sententiam proponam, liceat ea proferre, quae de aliorum quorundam sententiis mihi visa sunt. Liber vero, non libellus conscribendus esset, si omnes omnium definitiones hic colligere vellem, neque hoc fiat necessum, cum jam plures, praesertim HUFELANDIUS V. C. aliorum in hanc rem sententias ad veritatis normam exegerunt. Acquiescam ergo in brevi recensione eorum, in quibus de variis, quas inveni, juris definitionibus cogitans haesitavi *z*).

## §. 18.

Omnes juris definitiones, quotquot earum mihi notae sunt, his quatuor nominibus, una hoc, altera illo, mihi accusandae esse videntur.

1. In quibusdam confunditur justum cum honesto (*καλόν c. δικαίον*). Ita enim fit in definitionibus, quae ea juris nomine appellant, quae ab omni parte ad felicitatem omnium plurimum faciunt *u*).

*z*) In exigendis variis variorum de jure sententis vix vereor, ne quis *κατήγορος*, vel, si malis, audaciam meam accuset. Omnes, quos hic nominabo, viros ex animo venero, plures pia observantia colo, nec in ullum modestiae, pudoris, pietatis a me leges laesas volo. Utor modo libertate sententiam meam judicio prudentiorum proponendi, et e prudentibus, ut corrigant atque emendent, petendi.

*u*) Hismann in deutsch. Museum 1778. „Recht ist das, was in allem Betracht nach allen seinen Folgen und Beziehungen

Haec autem definitio, missa commixtione iusti ac honesti, quae jam notata est, haecenus quoque notanda esse videtur, quod non tam internam juris naturam, quam effectum, id quod cum iustis actionibus conjunctum cernitur, sistat. Eandem notam subit, quae iustum esse praedicat, quod ab omni parte omnibus probatur ob convenientiam cum natura nostra ejusque proprietatibus \*).

2. In aliis pro prima juris notione derivata quaedam ponitur v. c. in illa, quae Jus appellat, quod legibus accommodatum, vel voluntati divinae consentaneum est.

3. Sunt porro, qui pro definitione omnibus Juris generibus communi singulorum Jurium expositionem vendant: quo nomine appellandi sunt HOBBIUS cum MOSE MENDELIDE, quorum ille Jus definit libertate, quam quisque habet, facultatibus naturalibus secundum

das Beste, das Zurüglichste, das Nützlichste ist. — Feder, V. S. V. „Das allgemeine und wesentliche Merkmal dessen, was recht (iustum) ist, besteht darin, daß dasselbe, nach allen seinen Folgen und Verhältnissen, so genau und vollständig, als möglich erwogen, das meiste Gute enthält oder hervorbringt, zur Summe der Glückseligkeit im Ganzen am meisten beiträgt.“ Ej. Grundlehren zur Kenntniß des menschlichen Willens p. 71. cf. loca ibidem citata et Auctoris Untersuchungen über d. menschlichen Willen. P. 3, p. 152. 199.

\* Federi Grundl. p. 72.

rectam rationem utendi *y*), hic, potestate morali (Befugniss) rem quandam ad salutem suam adhibendi *z*).

4. Ut denique uno complectar, quae exstant plurimae definitiones, earum rerum, quae Juri propriae sunt, accuratam non praebent et circumscriptam explicationem: quod quidem deprehendi mihi videtur

a) in illis, quae alia quidem verba reddunt, neque tamen eadem clariora et certiora. Ita vero mihi visum est in GROTIANA et PUFENDORFIANA, quarum haec ponit: Jus esse qualitatem moralem, qua recte vel personis imperemus vel res teneamus, aut cujus vi aliquid nobis debeatur *a*); illa autem ejusdem rei notionem circumferibit qualitate morali personae competente ad aliquid iuste habendum vel agendum *b*). — In utraque autem res explicanda ex definito in vocabula recte et iuste translata, ibique recondita est.

b) in negativis v. c. HÖPFNERIANA, quae potestatem, salva legum auctoritate agendi, Juris nomine

*y*) Ell. ph. de cive Libertas. c. 1. §. 7.

*z*) Jerusalem p. 29. „Die Befugniss (das sittliche Vermögen) sich eines Dinges als Mittels zu seiner Glückseligkeit zu bedienen, heisst ein Recht.“

*a*) Jus nat. et gg. L. 1. c. 1. §. 20.

*b*) De j. b. e. p. 1. 1. c. 1. 4.

adfit c): in qua quaestioni, statim occurrenti, non satisfactum est: quando tandem ita egerimus? —

c) in istis, quae, ut cum Logicis loquar, latiores justo sunt. Comprehendunt autem plures res, quam quae Juris notioni propriae sunt, omnes istae, quae Jus dicunt facultatem moralem, facultatem agendi moralem, quod licitum est etc. Negari quidem nequit, nihil Juris esse, nisi quod per leges moribus nostris a ratione praescriptas licet, neque vero omne, quod ita comparatum est, Jus vocari potest. Sapiens v. c. quisque facultate gaudet morali, stulti erudiendi, corrigendi, monendi: cum tamen jure non gaudeat, virtute sua ad stulti usum, hoc invito, utendi d).

c) Naturrecht d. einz. Mensch., Gesellsch. und Völker. Vorbereitungsskizze, p. 13, §. 19.

d) Nullam vero offendi, quae amplior sit atque capacior *Seliana* in *Berlinische Monatschrift*, 1784. Februar. 4. p. 112. Alles, ita h. l. auctor laudatus, was sich auf die Befolgung der Gesetze unserer zufälligen Handlungen bezieht, ist Recht. Juris vero tres formas esse contendit, unam naturalis, alteram moralem, tertiam politici. „Alles, was der Mensch thut, es möge stidlich gut oder böse seyn, ist natürlich recht. — Die Handlungen, welche den moral. Gesetzen entsprechen, sind moral. recht. — Die, welche den politischen Gesetzen entsprechen, polit. recht.“ p. 113. Auctorem Cel. forsitan in cognoscenda vera Juris notionē transversum egerunt vulgaris definitio, quae Jus appellat, quod legibus accommodatum est, et loquendi usus nostratum, quo saepius recht pro aptus adhibetur. — Sed libere profiteor, me omni contentione, mentem Auctoris penitus perspiciere non potuisse, ideoque iudicium de illa meum suspensum detineri.

d) in illis demum, quae non omnes juris proprietates capiunt, seu, angustiores justo inveniuntur. Ita v. c. iuxta caret capacitate PUFENDORFIANA, quae jus appellat, illam facultatem, quae effectum aliquem moralem involuit apud alios, qui ejusdem mecum sunt naturae e). — Etenim juribus quoque gaudemus in bruta, eosque homines, qui rationis usu carent, hique in nos. Jure furiosum pericula nobis minitantem repellere licet; jure prohibetur, qui cum lymphatico crudeliter agere vult.

## §. 19.

Ex omnibus, quae in hunc locum disputata sunt, praecipue satisfecerunt, quae HUFELANDIO V. C. debentur. Definit autem ille jus, ea actionis indole, qua ipsa nec ulli officio repugnat, nec alii eam, falvis honestatis legibus, impedire possunt. Recht im allgemeinen Sinn, ita Auctor laudatus, ist die Beschaffenheit einer Handlung, vermöge welcher, die Ausübung derselben durch keine Pflicht gehindert wird und andre verbunden sind, sich an der Ausübung derselben nicht zu hindern, seu, Recht heisst, die Beschaffenheit einer Handlung, vermöge deren sie erlaubt und der Handelnde dazu befugt ist f). — Haec autem,

e) Jur. N. et G. l. 3. c. 5. § 3.

f) V. Hufelandii Verf. ü. d. Gr. d. N. p. 32. et 34. — Ej. Lehrfätze d. N. R. p. 3. §. 4.

etsi primo intuitu certas notas rei definiendae sistere, eamque suis limitibus circumscribere videatur: liceat mihi tamen quaedam quibus solertius eam ventilans offensus sum, sequentibus proponere.

§. 20.

Primum haec, ut ipse, quem laudavi, fatetur, negativa est. Putat quidem V. C. primas notationis posse (dürfen) non, nisi negativas esse; sed id ipsum in dubium vocari posse videtur. Etenim si quis nostratium *divfen* definit ea actionis ratione, qua aliis ob leges honestatis illam impedire non licet; nondum ad eum finem perducta explicatio est, ad quem per definitionem perducenda esset, et restat adhuc quaestio facta, quare aliis, ne impediant, vetitum sit.

2) Quaedam porro comprehendere videtur, quibus Juris nomen non competit. Secundum hanc enim LUTHERO jus fuisset, Monachum quemque, quin ipsum Pontificem summum, sua doctrina saniore imbuedi: Ille enim, quin faceret, nulla honestatis lege prohibebatur; horum vero fuisset, LUTHERO non refragari ejusque praeceptis paratas aures praeberere.

3) Ipse denique auctor, nisi error me aufert meus, sibi repugnare videtur, omni juri ex adverso collocans obligationem (certe negativam) cum tamen iterum ite-

rumque contenderit, hanc compositionem jurium et obligationum saepenumero satis ineptam esse g).

§. 21.

Facili aliquis opera, quae in aliis manca sunt et imperfecta offendit: graviore demum labore ipse meliora et perfectiora ponit. Cujus quidem rei veritas vix ab ullo praesentior et videri et sentiri potest, quam a me et videtur et sentitur, cum prius mihi perfectum sit, alterum ut fiat, necesse. Magna — cur enim diffitear — timiditate subeo, quod mihi occurrit: majori, nisi in indulgentia et aequitate, quam quilibet eruditus erudito cuilibet debet, acquiescere possem.

§. 22.

Haec autem praemittuntur, e quibus deinde Juris accuratam definitionem constanti ratione colligere animus est.

1. Omnes consentiant, jus, sensu huic loco accommodato, referri ad potestates (Handlungsmöglichkeiten). (Potestates autem posui non actiones, quoniam de natura harum, ad quam definiendam sexcenta singula concurrunt, nihil certi, certe non univarse poni potest. Nemo e. g. negabit, potestatem pomi carpen-

g) Lehrf. d. N. R. p. 27. § 51. Not. et alibi.



di ex malo, quae nullius est, iustam mihi esse: cum nihilominus iniuste agerem, pomum carpens vel quatiendo petens ex arbore, quam quis dormiendi causa occupavit.

2. Neque vero quaelibet potestas promiscue Juris nomine gaudet. Percutiendi v. c. frangendi, pellendi potestatem quis iustam omnino appellet? — cum saepe accidere possit, ut injustissima inveniatur.

3. Quodsi autem quaeris, cui tandem potestati Juris nomen tribuendum, quae tibi prima et ex omnium ore occurret responsio, haec erit: illi quam reprimere aliis non licet. Hac mente illum ego, qui usumfructum eorum, quae mihi labore et sudore merui, turbare vult, his verbis repello: Apage, Jus mihi, his rebus utendi fruendi: noli ergo turbare: illicitum enim.

4. Harum potestatum (n. 3.) tres praecipue formae uno omnibus ore consentientibus appellari possunt:

a) potestas officio satisfaciendi b),

b) Si forte aliquis huic reponeret: Non ubique et semper jus mihi competit ea perficiendi, quae officio iubentur. — Fac enim, aliquem spurcissime loqui; officii quidem est illum corrigere atque monere, ne honestatis leges laedat, neque vero jus hoc facienti mihi competit, id quod ille statim demonstrat occurrens, „ne cures aliena — ego pro lubitu“ — Quae, inquam, si quis reponeret, huic ita: Exemplum tuum specie non caret, contra nos nihil facit. Quod officii est

b) potestas suum in agendo arbitrium sequendi i).

c) potestas, quae ad se suaque conservanda necessario requirantur, faciendi, patiendive,

quarum primam et secundam alios reprimere nefas, quod utraque necessaria est, ad dignitatem rationis, quae in homine summa est, servandam; tertiam, quia sine illius usu omnino esse non possumus: et, ut uno complectar, trigam hanc potestatum ab aliis retineri, vel coerceri nefas, quoniam necessariae illae sunt, ad naturae humanae conservationem.

5. Jus itaque involuit necessitatem: eam vero nec physicam, nec moralem (haec enim obligationes parit), sed, ut ita dicam, humanam; id est, eam quae ad illa refertur, sine quibus aliquis humanitatem suam tueri nequit.

§. 22.

Ex his autem, quae praemissa sunt, haec demum Juris definitio recte derivata esse videtur:

Jus

in hoc, idem quoque juris: Est autem officii, periclitari, an forte spurcissime loquentem ad castiora revocare possis: quod quidem recta ratione facere ob justitiae leges quoque licitum est. Non autem Tuum, quanquam videas nihil perfici posse, tamen instare: ideoque Tibi non justa potestas adhortandi illum, qui adhortantem repellit.

i) Salva tamen aliorum salute.

Jus est, ea potestatis *k*) (Handlungsmöglichkeit) indoles, qua ipsa alicui competat necesse est, ob naturae suae conservationem. Recht ist die Beschaffenheit einer Handlungsmöglichkeit, vermöge deren sie einem zur Erhaltung seiner Natur (Menschennatur) nothwendig zukommen muß.

Potestas ita comparata, jus est (sensu singulari) (ein Recht) et quae ex hac potestate fluunt actiones iustae vocantur (recht, gerecht). Juri opponitur Injuria, quae quidem cernitur, ea potestatis ratione, qua alicui *non* competat, necesse est ob naturam aliorum conservandam. Potestas ergo ita comparata injuria est (unrecht) et actio ab hac potestate pendens injusta (ein Unrecht, unrechtmässig).

§. 23.

Non alienum fortasse est a consilio nostro, hoc loco pauca disputare de discrimine juris atque officii, quorum praecepta saepissime promiscue posita sunt, quo factum, ut doctrina Jurium perturbaretur, terminique

*k*) Ut a vocabuli „potestatis“ calumnatione mihi caveam, indicare placet, potestatem mihi esse, facultatem, quando lubeat, agendi.

qui limites ejus, morum doctrinae finitimos, designant, pessum darentur.

Officia primum requirunt rationis usum: jura haud ita. Nullis enim infans, furiosus cet. officiis obstricti sunt: jura vero sua nihilominus habent. Illa ergo in liberis tantum actionibus cernuntur, haec in quibus vis. — Officia porro repetuntur a mente, consilio, e quo actiones fluxerunt (a causa); jura autem a vi actionum ipsarum externa (ab effectu). Quodsi enim an quis, largiendo, donando, adjuvando, honestati satisfecerit, disquirere volumus, utrum honestatis lege motus sit, an aliunde quaerendum: si autem an justa, injusta actio, dubitatur, ad ipsam ejus in agentem et alios vim recurritur. Officia itaque vi protrudi non possunt, quoniam animus vi nulla externa movetur: ad jura vero solvenda fieri potest ut aliquis cogatur. Illa denique a ratione praecipuntur et ad rationem ipsam, eamque conditionem, qua homo per rationem positus est, referuntur: haec quidem eadem ratione constituuntur, sed ad hominis conditionem terrenam referuntur.

§. 24.

Ex hac compositione jurium atque officiorum (§. 23.) sequitur, officia quae vi protrudi possunt, *αιδηροζευδα* esse. — Plures jam inde a GUNDLINGIO contra vulgarem divisionem officiorum in perfecta et imper-

fecta (Zwangs- und Gewissenspflichten) disputaverunt, quibus pauca modo adjungere lubet. Officia, ut unusquisque fatetur, moralia sunt: quod autem ad mores pertinet, vi externa non tangitur: officia ergo, quae talia, ab omni vi excepta sunt: vis enim non cadit, nisi in externa, sensibus subjecta, legibus physicis subjuncta. Nemo enim justitiam vi aliquem docere potest: nemo injustitiam manu, quamquam fusi gladioque armata, ex animo pellere. In actiones vero ipsas externas vis cadere potest, quas non repugnarem, si dividere velles in eas, quae vim admittunt, et eas, quae non admittunt: poneresque, illas esse vi vel protrudendas vel reprimendas, quae fiant vel non fiant necesse est, ob aliorum naturam conservandam (§. 22.): eas vero ab omni vi liberas esse, in quibus haec necessitas non cernatur.

§. 25.

Ut autem officia, quae vocantur, perfecta, ita quoque jura, quae venduntur, imperfecta ad notiones repugnantes releganda esse existimo. Haec enim si diligenter scrutaris, quid invenies, praeter rationes quasdam expectandi sperandive, alium tibi aliquid praefiturum esse; cum in Jure habeas necesse est rationem idoneam, postulandi ab alio, ut tibi aliquid tribuatur. Jus competit ei, qui expensum tulit,

in illum, qui acceptum retulit: non enim sperat debi-  
tum solutum iri, sed in jus vocare potest debitorem,  
ut reddat: minus vero recte jus mihi attribuo in illum,  
qui beneficiis meis adstrictus est, quod expectare qui-  
dem licet, hunc gratum in me animum habiturum esse  
neque vero ego, ut gratiae reddantur, postulare  
possum.

## CAPUT TERTIUM.

De  
rebus, in Jure Naturae tractandis.

## §. 26.

Non lubet recoquere, quae jam a pluribus et novissime ab HUFELANDIO <sup>1)</sup> de abusu Juris Naturae dicta sunt. Plurimi qui ad ejus praecepta explicanda operam suam applicaverunt, limites transfluere et in fines doctrinae morum transvagati sunt, ita, ut pro praeceptis Justi, quae unice tradenda fuissent, praecepta Justi, Decori atque Honesti traderent. Quos quidem Jure Naturae, quod pro singulari doctrina vendiderunt, abusus esse, ut multis demonstratur vix aliquis desiderabit; cum facile occurrat, hoc modo cum doctrina morum Jurium disciplinam confundi neque causam inveniri, quare una ab altera sejungatur. Aequè vero minus ad fines Juris Naturae regundos rectum consilium adhibuerunt, qui ejus loca, opportunitate oblata, vel in Jurisprudèntia, quae positiva audit, vel in aliis disciplinis, tractaverunt.

## §. 27.

Hujus vero abusus (§. 26.) hae mihi potissimum causae deprehendi videntur:

<sup>1)</sup> Ej. Versuch u. d. Grundf. d. N. p. 13 — 23. Ejusd. Lehrf. d. N. p. 14. §. 35.

1) Perturbata primum atque promiscua in aliis disciplinis praeceptorum Juris tractatio, quam ad medium usque seculum decimum sextum in scriptis et Theologorum et Jureconsultorum et Philosophorum offensus: quo autem factum est, ut, sequenti aetate quamvis se jungeretur atque seorsim tractaretur, semper tamen aliena quaedam, praescriptionis quasi lege, usive excepta, intra fines Juris Naturae relinquerentur, illique domestica ducerentur.

2) Alia causa latet in definitionibus Jurisprudentiae, praeceptisque Juris, quae in Corpore Juris Civilis *m*) inveniuntur, quorumque et haec et illae capaciores sunt justo ob causas neminem fugientes, qui opiniones veterum Jureconsultorum geniumque saeculi **ULPINIANEI** et **JUSTINIANEI** cognoscit.

3) Multi deinde, cum in Jure Naturae de divinis et humanis juribus legibusque fabularentur et a Moësis legibus, tamquam divini oris, primordia juris repperent *n*): inde effectum, ut, quemadmodum in Moësaica tabula cernitur, praecepta juris, virtutis, religio-

*m*) §. 1. Infit, de justit. et jure: Jurisprudentia est divinarum atque humanarum rerum notitia, justitiae et injuriae scientia. §. 3. ib. eod. tit. Juris praecepta sunt haec: Honestè vivere, neminem laedere, suum cuique tribuere. — L. 2. pr. ff. de justit. et j. — Jus est ars boni et aequi. cf. §. 1. ib. — L. 10. ff. eod. tit.

*n*) Vid. Grotium, Pufendorffium et sexcentos alios. —



his confunderentur: quo vero quaestio de jure tantum abest ut expeditior facta sit, ut potius multo magis impediretur. —

4) His denique adjungi potest, quod, cum faepius in explicandis juribus recurrendum ad officia etc., inde suspicio fluxerit, jura seorsim tractari non posse, neque solum ad explicanda illa, sed demonstranda etiam et docenda doctrinam morum cet. adhibendam esse.

§. 28.

Sin vero Jure Naturae abuti vis, nihil, nisi Jura *o*), illi tribuere potes, et ea quidem, quae vel ex ipsa humana natura vel e rationibus hominum maxime universis rite colligendo derivari possunt. Officia ad suam patriam, quae in doctrina morum est, releganda et quae legibus arbitrariis constituuntur a doctoribus Juris positivi tradenda. — In legibus ferendis ut honesti praecipua ratio habeatur; legum latores, ut, si legibus satisfieri volunt, animum civium justitia, propensitate suum cuique tribuendi ornare studeant, maxime consentaneum est: in ipsis vero juribus constituendis, ea

\*) Quodsi praeter Jura, omnia e J. N. eliminanda esse contendit: patet, me jura, quae a coactione nomen ferunt, possidisse, cum ad reliqua jurium nomen abusa transisse supra (§ 25.) demonstraverim.

modo sequi, unde quid juris sit patet, ea autem fugere, quae ab hac te via abducere queant, fas est.

## §. 29.

Jus Naturae sensu strictissimo nihil tradit, nisi Jura, quibus homo ob naturam suam, easque rationes, in quibus per naturam collocatus est, gaudet. Ut autem utilitas hujus doctrinae praesentior sit, ut eo facilius satisfaciatur fini suo, qui in fundandis et exigendis juri- bus, quae civilia vocantur, et ab hominibus secundum necessitates hominum in civitatem congregatorum ponenda sunt, cernitur, fines producti et primordia ju- rium civilium ad Jus Naturae revocata sunt. Alii ma- jore adhuc licentia utentes, multa Juris positivi nomina in nostram doctrinam importaverunt: quod tamen an recte factum sit, dubitatum est *p)*, cum hoc more quo minus rectae rationi ab opinionibus hominum damnum daretur, et constans, qui disciplinam certam decet, or- do turbaretur, impediri vix potuit. Putant hi quidem se defensos esse, Jus Naturae tanquam praecipuum sub sidium Juris positivi, dicentes, accommodandum esse hujus usui: ideoque ordinem illius huic aptandum: cujus defensionis priorem partem stare, nihil impedio,

*p)* Vid. praeter alia, quae Caes. Prof. Lips. edidit in suo: Juristisches Naturrecht, eine Chimære; quem libellum invenimus in: Leipziger Magazin für Rechtsgelehrte, herausg. v. Günther und Otto. Erst. Jahrg. erst. Band drittes St. S. 193 — 204. et 4tes St. S. 289 — 306.


si modo subsidium fatentur hoc loco esse, sine quo quis legulejus, rabulis rejiciendis impar, nomineque prudentis seu legum periti indignus, inveniatur: alteram rejiciendam esse puto, quoniam Iuris Naturae est, parare ingenium ad exactam certamque Iuris positivi cognitionem; quod nullo modo aliter fiet, nisi in illo tradendo ordinem, quem poteris, maxime perspicuum, atque constantem secutus fueris.

## §. 30.

Nullus autem dubito, bene consultum iri Iurium cultoribus, Iure Naturae ad singularem eorum usum, quam proxime fieri posset, adducto. Quod quidem haud scio, an hac ratione perficiatur, quae nec a natura disciplinae nostrae abhorrere et desiderio eorum, qui hanc ad Positivi subsidium propius accedere jubent, satisfacere videtur. — Ut omnium disciplinarum, ita quoque Iuris Naturae ea pars in fronte collocanda, quae in primordiis explicandis at a capite repetendis versatur. Hanc — quamvis vocabulo non satis apto — Metaphysicam Iurium vocarem, eidemque explicationem notionum primarum Iuris Naturae — juris, naturae cet., deductionemque principii Iuris Naturae describerem. Ipsum deinde I. N. dispesci potest in purum et applicatum, quorum illud complectitur Iura, iis rationibus nexa, quae e natura humanitatis, nihilo praeterea posito, fluunt: hoc autem praecepta, priori parte tradita, refert ad rationes, in quibus

Civitas hominem collocat. — I. N. puri partes, absoluta et hypothetica, constituuntur, quarum illa versatur in explicatione iurium ante omne et factum et pactum hominibus tribuendorum: haec vero in docendis illis, quae ab homine in eo loco, in quo a natura positus est, comparari possunt. Applicati denique partem et universalem et specialem pono. Universalis autem ea, quae rationibus, a communi civitatis notione derivandis, accommodata sunt, tradit: specialis philosophicam praebet introductionem in Iurisprudentiam Positivam, ideoque ea, quae NERTELBLADTIUS V. C. aliique de jure feudali, ecclesiastico cet. sparsim tradiderunt, collecta tenet. Hac ergo tabula tota Iuris Naturae ratio continetur:

Metaphysica Iurium



## CAPUT QUARTUM

De

Natura principii Iuris Naturae

Accedit

modesta principii Hufelandiani censura.

## §. 31.

Quae principio Iuris Naturae vero inesse debeant, optime cognosci potest accurata ejus definitione, et constanti expositione propositionum in definitione ipsa latentium.

## §. 32.

Principium est initium alicujus rei, quod in aliqua re primum est: artis itaque principium illa cernitur propositione, quae hujus artis prima est et reliquas in se comprehendit; unde denique patet, principium juris naturae inveniri ista propositione, a qua omnium singulorum jurium rationes tamquam a capite suo, repeti possunt *g*).

*g*) Congruunt cum hac, quas alii principii I. N. definitiones dederunt. — Hobbesio est hocce principium: regula, per quam statim cognosci possit, an id, quod facturi sumus, sit contra legem naturae nec ne. (Elemm. ph. de civ. c. 3. §. 26. in indice). — Thomasio: propositio aliqua,

Inde vero consequitur,

1) Principio Iuris Naturae in hac arte principatum tribuendum esse i. e. nullam in doctrina iurium inveniri propositionem, e qua tandem illud derivandum fit. Origo enim principii nulla est: nam ex principio oriuntur omnia: ipsum autem nulla ex re alia nasci potest r).

2) Dominari illud deinde per hujus artis propositionum universitatem: quod si enim ulla, quin una deprehenderetur, quae a principio repeti non posset, principii nomine indignum esset.

3) necessitatem, et

4) veritatem illi inesse debere: priore enim ratione si careret, a lubitu agentium penderet, utrum

sub qua reliqua praecepta omnia tamquam sub axioma communi comprehenduntur. (Instit. jurispr. divinae L. 1. c. 4. §. 2). — Gundlingio: axioma, in quo conclusiones omnes continentur. (Ius N. e. II. §. 5). — Nettelbaldio Perillustri et summa veneratione prosequendo unica veritas juris naturalis generalissima, ex qua omnes aliae demonstrativae ratione fluunt. (Systema elementare universae jurispr. Naturalis, Tit. 2. doctrin. propaed. §. 17). — Hufelandio III. eine allgemeine Regel, die alle einzelnen Regeln des Naturrechts unter sich begreift. (Verf. u. d. Gr. d. N. p. 63) etc.

r) Cicero 1. Tuscul. §3.

mentem ejus sequi vellent, nec ne, cum tamen ipsum munimento lubitui et petulantiae fruendo infervire debeat s): posteriore autem si orbatum esset, qui tandem ex illo veritates deduci possent et eae quidem ad necessitatem hominum maxime pertinentes?

5) Praeterea vero patet, fines illud disciplinae nostrae excedere non debere, seu, domesticum requiri principium. Ius Naturae enim cum pro disciplina venditetur, habeat necesse est suum fundamentum: alieno enim si niteretur, pars quidem disciplinae alicujus, non ipsa disciplina esset. quare postea

6) juridicum esse debet, seu rationes juris continere. (non officiorum, quod est doctrinae morum). Iura enim cum tradenda sint, principium hujus disciplinae necesse est ut complectatur rationes eorum, quae in illa traduntur.

7) Denique vero, cum omnia, quae ad actiones pertinent, morum praeceptis a recta ratione datis, accommodata esse debent, idem a principio Iuris Naturae recte postulatur.

r) Posses fortasse doctrinam morum a Iure Naturae hac ratione discernere: Illa quaerit quid esse fieri debet? (was soll seyn, quae a ratione praecipiantur?) haec vero: quid sit, fieri necesse est? (was mus seyn; quid ratio pro conditione hominum terrestri jubet?)

Quae HUFELANDIUS V. C. in libelli sui iterum iterumque laudati tertia parte posuit, faciunt, ut ego labore superfedere possim, varia a variis defensa principia in censum vocare. Consilio itaque meo satisficisse spero, si quo ipse aliorum acutissimus idem et integerrimus censor fundamento Ius Naturae superfruxerit, breviter disquisivero.

Pluribus inde ab initio octavi capitis in Kantiana quae huc pertinent, deque principio morum formali disputatis, huic ratiociniorum catenae Auctor Ill. principium Iuris Naturae suum annectit:

Leges ad quas mores formandi sunt, ad finem quendam spectent, necesse 1) —

Hic vero finis non aliunde monstrari potest, sed ipsa eum sibi ponit ratio. — (ratio enim *αὐτονομος*)

Finis, quem ipsa sibi ratio ponit, nullibi esse potest, nisi in rationis perfectione 2) —

1) Verf. u. d. Gef. d. N. p. 239.

2) ibid. 240.



Summus ergo finis, quem doctrina morum, ratione recta praecipiente, ponit, cum sit in perfectione: summum quoque praeceptum:

Promoveas perfectionem omnium animalium, praesertim ratione praeditorum; in quo illud quoque comprehenditur: Perfectionis deminutionem aliis caveto.

Eorum, quae priori subjunguntur, hoc princeps esse videtur:

Promoveas tuam quoque perfectionem, in quo et hoc est: Caueas, ne perfectioni tuae aliquid detrahatur: quo tandem ipso principium Iuris Naturae continetur \*),

§. 36.

Veritatem hujus praecepti (§. 38.) quis impugnet, quis negare audeat, quis possit? — Neque tamen diligentius inquirenti omnibus numeris absolutum visum est. Veritatem illi inesse et perspicuitatem, nullus dubito: utrum domesticum autem sit, et ad Ius Naturae solum pertineat, dubitandum videtur. Primum equidem puto, hocce principium non solum congruens esse praeceptis morum; id quod necesse

\*) ib. 242, 243. cf. G. Lehrf. et N. R. p. 30. §. 59-76.

(§. 33. 7.); sed ipsius horum familiae partem, ideoque illi addictum, quod aliter volumus →  
 Esse autem praeceptum paragrapho proxima positum vere doctrinae morum, hoc jam exemplo perspicias. Nonne bonus quisque praeceptor, officiique sui memor saepe discipulo suo: Caveas, ne integritas, sanctitasque animi tui pravorum hominum impuritate et spurcitia contaminetur? num vero ille hoc praecepto potestatem huic tribuit, impuros spurcosque vi repellendi? officii, (hoc sibi vult praeceptum illud) officii est, cavere ne pravis corrumpare; non item, vi illos repellere. Cum itaque Hufelandianum illud doctrinae morum sit, officiaque doceat, deest illi, quae principio Iuris Naturae inesse debet, ratio juridica (§. 33. 6.) Cautio enim, quam praeceptum laudatum jubet, non involuit potestatem cogendi, cum alio illa modo fieri et possit et saepissime debeat. Si quis forte objiceret, potestatem cogendi praecepto aliquo honesti niti debere, lubenter equidem darem; monerem vero officium aliorum cogendorum hoc praecepto non inveniri, cum universe tantum jubeatur, providendum esse, ne perfectioni aliqua pars detrahatur. — Vix offenderem, in quibus haesitarem, si praemissis praemittendis, loco r̄

„Caveas, (*Verbindre*) ne perfectio tua minuatur, positum esset

Prohibeas (*Verwehre*), ne salutis tuae pars quaedam auferatur.

CAPUT QUINTUM  
idemque postremum

quo

quod Auctori verum esse videtur, principium  
proponitur.

§. 37.

Non habeo, quare in deducendo principio meo longus sim; cum, quae viam ad illud ducentem muniunt, superioribus jam ostensa sunt. Omnes itaque ambages praetermittens, constanti certorum ratiociniorum filo ductus, recta ad arcem, quam volumus, tendo.

§. 38.

Hominis duplex est ratio; una, quae a mente pendet, civitate mundi intelligibilis, ejusdemque certis legibus adfricti, eum ornat; altera, quae ab humanitate i. e. animi cum corpore conjunctione, pendet, civem hujus terrarum orbis illum constituit.

§. 39.

Rationi summum imperium est tribuendum, potestasque legum ferendarum; in ea enim sola est con-

D

flans perpetuusque ordo, ea sola *deus* i. e. a nulla alia re, nisi se ipsa, pendens.

Haec autem summa imperatrix hominem jubet salutem suam curare et rationalem et humanam (§. 38.)

## §. 41.

Cui iusto ut satisfiat, ratione constituitur disciplina morum, quae animum hominis ad rationem rectam regere vult, sensum illi intillare, praeceptis rectae rationis consentaneum. His vero finibus morum doctrina circumscribitur: ad animum spectat, ab animo rationes praeceptorum repetit.

## §. 42.

Quilibet si praeceptis honesti et aequi, quae in morum doctrina ponantur, satisficeret, officiumque suum sequeretur, bene actum esset cum hominibus, neque salus humanae naturae aliis praefidiis, quam quae in disciplina morum inveniuntur, munienda foret.

## §. 43.

fam vero certa experientia constat

- 1) homines saepe non cognoscere, quid sit suae et aliorum salutis.
- 2) Saepe etiam hujus curandae animi deesse.

## §. 44.

Lex autem rationis suprema superior est omnibus, quae ex imperfectione hominum fluunt. Quodsi igitur hominum vel alius cujnsvis impetus contrarii sunt praeceptis rationis, haec sunt sequenda omnique ratione tuenda. Cum itaque salutem naturae nostrae tueri a ratione jubeamur (§. 40), omnes in illam impetus repellere fas est γ).

- γ) Eodem tere modo Gundlingius in *Via ad veritatem Jurisprudentiae Naturalis* p. 7. §. 20. 21. — Haec (lex naturae hypothetica §. 19) naturam aberrantem et affectibus obnoxiam ponit, adeoque, quae ad externam felicitatem et quietem conservandam pertinent, praecipit — 21. Quodsi enim homines omnes mutua charitate ac honestate forent praediti, ejusque abundantiam sub pectore gestarent, non aliis sane praeceptis opus esset nec dubium, quin nemo alterum deliberato animo sit laesurus. At, cum ea vulgo a mortalium vita moribusque exuler, hinc externa felicitate et quiete obrepta rarisper contenti sumus, ejusque conservandae rationes maxime urgemus, donec honesti amoris suavissimi fructus in unoquoque sese exierant.

## §. 45.

Hinc demum, principium Iuris naturae fluere, atque his verbis concipi posse videtur:

*Prohibeas, ne quid detrimenti capiat natura tua in hoc mundo.*

## §. 46.

Quod si ad ea, quae supra posita sunt (§. 33.), exegeris, invenies, omnia eidem inesse, quae in principio vero jure quaeruntur. Est enim in hac arte primum, ut ex ipsa ejusdem deductione satis apparet, omniaque in se comprehendit, quae familiae J. N. annumerantur, cum singulorum jurium rationes ex illo omnes hauriri possunt. Involuit praeterea necessitatem, quae omnibus, quae non ex usu cognoscuntur, sed a priori, ut cum Philosophis, in mente inveniuntur, inest; verumque est, quoniam consentit cum omnibus rectae rationis praeceptis. Neque minus domesticum, ideoque juridicum esse videtur, quoniam ad ea solum pertinet, quae vi comparanda sunt, si ipsa voluntas non sufficiat, quaeque sint fiantve necesse est ad locum in hoc mundo nostrum tenendum. Tantum denique abest, ut a praeceptis morum discrepet, ut potius arctissime cum illis cohaereat, immo ex ipsis horum adytis petitum sit.

## §. 47.

Facile ex hoc principio (§. 45.) responderi potest ad quaestiones, quae in limine disciplinae nostrae occurrunt, de rationibus pro jure nostro adhibendis, de rebus, quae vi adhibita defendi possunt, de eo, qui vi juste uti potest etc. Mitto vero has, in una tantum moraturus, quae de restitutione damnoque refarciendo ponitur, varietate a variis disceptata est. Facillima est disceptatio, si de re ablata, adhuc vero in manibus auferentis existente quaeritur: difficilior, si post rei interitum de damno refarciendo et compensando. Ego vero cum illis facio, qui illi cui quid ablatum est, jus tribuunt, ut damnum refarciatur postulandi, si maxime res ablata interierit. Nisi enim hoc illi jus competeret, incolumitatem suam curare nefas esset, id quod repugnat principio nostro (§. 45.). Accidere quidem potest, ut a parte ejus, qui abstulit, compensatio fieri non possit; quo ipso tamen jus compensationis postulandae non tollitur, quamvis ipsa in hac rerum conditione compensatio fieri nequeat. — Ex adverso stat HUFELANDIUS V. C. compensatione existimans, non restitui quod ablatum sit, sed aliud quiddam adjici, ideoque copiam rerum augeri z). Jam vero,


z) Ita auctor laudatus in Lehrätzen d. N. R. p. 48. §. 93. n. 2. Der Ersatz ist nicht Wiedererstattung desselben Theils der Vollkommenheit, sondern Hinzufügung eines andern, und folglich blos Mehrung; das Zwangerecht zum Ersatz kann also nicht anders bewiesen werden, als wenn das Zwangerecht zur Mehrung der Vollkommenheit bewiesen wurde. cf.

cum jus alicui non sit, vi alium adducere, ut salutem augeat, iuste quoque compensationem postulari non posse putat. In quo tamen Vir celeberrimus specie deductus falsa, sibi non constitisse videtur. Neque enim video, quomodo quis in damno resarciendo et compensando rerum suarum amplificationem offendat: quomodo v. c. rex, qui ut sumtus bellici ab hoste reficerentur, impetravit, res inde suas auctas factare possit. Quae cum ita sint, Auctor clarissimus, qui jus nobis attribuit providendi, ut res nostrae incolumes stent, si constare sibi vult, jus quoque compensationis postulandae nobis relinquere debet. In iure enim compensationis nostro persequendo, non, ut res nostras augeat,

quae posuit in ipsa paragrapho et in suo: Versuch über d. Grd. d. N. p. 258. sqq. — Loci Grotiani, quem pro sua sententia pugnare V. C. putat, sensus non esse videtur is, quem ab Auctore illi tributum invenimus. Grotius enim Libr. II. c. x. §. 2., post ea, quae nr. i. loc. cit. dixit „De rebus non exstantibus hoc humano generi placuit, ut si tu ex re mea factus es locupletior“ haec ponit nr. 2. „Est huius diei tanta aequitas, ut multa hinc desiniant Juris consulti extra legum praescripta, semper ad ipsam aequitatem, ut evidentiissimam, provocantes“ Aequitatis vero vocabulum hoc loco praeter notionem, quam nostrarium „Billigkeit“ comprehendit, completi etiam notionem iusti, Grotiumque dicere voluisse, „es ist recht und billig, dass Ersatz geleistet werde“ e totius orationis contextu satis apparet. Saepius quoque in Corpore Juris Civilis pro Aequum, Aequitas pro eo, quod est iustum et aequum est, adhibetur, responderetque nostrarium „recht und billig.“ Vid. §. 39. 40. Inst. de rer. divis. L. I. ff. de instir. act. etc.



eam, qui illis aliquid detraxit, iubemus, sed eam eorum partem requirimus, qua orbati per illius injustitiam sumus, quaque demum recuperata (vel ipsa vel alia, alius quidem formae, ejusdem vero pretii) res nostrae, non amplificatae, sed incolumitati tantum restitutae inveniantur.







Halle, Diss., 1788-91

ULB Halle

3


001 967 045




Sb.

v. 178







DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOSOPHICA  
DE  
PRINCIPIO JURIS  
NATURAE,

20  
1799, 25

QUAM  
CONSENSU  
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS  
MODERATORE

D. I. L. SCHULZIO

PROFESSORE THEOLOGIAE ET PHILOSOPHIAE  
FACULTATIS PHILOSOPHICAE P. T. DECANO

PRO  
SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS  
SOLENNITER CAPESSENDIS  
PRIDIE CALEND. SEPTEMBER.

PUBLICAE DEFENDET  
IOAN. CHR. GOTTL. SCHAUMANN  
PAEDAGOGII REGII, QUOD GLAUCHAE EST,  
COLLEGA ORDINARIUS

HALAE,  
LITTERIS FRANCKIANIS MDCCXCI.

33

